
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 D
38

DE SANCTITATE VITÆ,

Heroicis virtutibus, & Miraculis, quibus in vita, & post mortem claruit

B. IOANNES DEI

Religionis Fratrum Hospitalitatis, & Infirmis Ministrantium Fundator



AD SANCTISSIMVM D.N.


VRBANVM VIII.

Pont. Opt. Max.

RELATIO

Ioannis Baptistæ Coccini Decani
Philippi Pirouani, &
Clementis Merlini
} Rotæ Auditorum.

Necnon Relatio eorum, quæ postea subsecuta fuerunt usque ad Decretum Canonizationis.



ROMÆ, Typis Reuerendæ Cam. Apost. MDCXC.

SVPERIORVM PERMISSV.

BEATISS. PATER.



AM non vltionum Dominus, ſed miſericordiarum Pater, & Deus totius conſolationis, quemadmodùm in Sole, in quo tabernaculum ſuum poſuerat, exoriens ad dilectiſſimæ Sponſæ thalamum proceſſurus, lucis ſuæ prænuntium Sydus in Orientali Pale-

stinæ Cælo, Ioannem, inquam, præmisit, qui perbibens testimonium de lumine puriores aduenientis Fidei radios testaretur, notumque omnibus faceret, quoniam oportebat ad salutem, ac benedictionem nostram peruenire Solem, quem ad ortum lucis adoraremus. Ita sanè cum superioribus sæculis abundaret iniquitas, & charitas Dei, quæ in multis refrigescebat, & ad occasum peruenerat, iterùm apparere deberet in nobis, Ioannem alterum missum à Deo redeũtis charitatis non præcursorem, sed in Occidẽti Hispaniarum Cælo renascentem Solem vidimus, Solem verè, qui in primo lucis suæ aspectu ad extremum vsque vitalis luminis spiritum dilectionem in proximũ, miserationem in pauperes, pietatem in infirmos annuntiauit, vas admirabile Diuinæ electionis, opus excelsum Omnipotentis dexteræ Dei, non intermissa laborum reuolutione, Oriens, & Occidens, & ad locum suum, nempè in Diuini amoris firmamentum reuertens, ibiquè resumptis, vel viribus, vel fulgoribus, renascens girauit per medium charitatis, flectens ad Aquilonem patientiæ, & tolerantiæ, lustrans vni-

Sap. 6.

Eccl. 43. a.

Eccl. 1. a.

vniuersa in circuitu terrarum ad subsidia, opemquè proximi indagandam.

Hunc igitur Solem Ioannem Dei appellatum, cuius auroræ Lusitaniæ primùm excepit, meridianos verò radios Castellæ diutiùs suspexit, vel vrentes, viuidosque saluberrimè experta est, non conniuentibus S. V. oculis exponimus, vt eam benefico B. V. intuitu in Ecclesiæ militantis Olympo assequatur immortalitatem, quam humanæ vitæ spatia fortitèr emetiendo in perenni Sanctimoniæ, ac pietatis Solstitio sibi stabiliuit.

Vt autem S. V. illius radios possit commodiùs intueri, cùm certi iuris sit ad Sanctorum Canonizationem claris, & perspicuis probationibus ante omnia constare debere de Vita, Virtutibus, & Sanctitate canonizandi, & de miraculis illius intercessione à Deo operatis, iuxtà S. R. E. Ritum, & Sacrorum Canonum sanctiones, vt probat Text. in cap. 1., & DD. de Reliq. & Vener. Sanctor., & gloss. communitèr approbata in cap. 1. in verb. Sedis Apostolicæ eod. tit. in 6. *Maluet.* de Canonizat. Sanctor. dub. 3. num. 1. & seq. & n. 75.

num. 75. ver. ſed dato, *Caſtellan.* eodem tractat. quæſt. 4. in princ. & quæſt. 5. ver. 5. neceſſar., *Caſſaneus* in Cathal. glor. mundi par. 3. conſid. 50. *Panuin.* in Canonizat. Sancti Bonauenturæ, *& ſæpiùs maiores noſtri firmarunt. Ideò agemus primò de virtutibus tàm Theologicis, quàm Cardinalibus, cœteriſque, quæ huius Serui Dei animum merè illuſtrarunt. Secundò de fama Sanctitatis, & Veneratione Imaginum, atque Miraculis. Poſtremò de validitate proceſſuum, ac legitimo examine Teſtium.*

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

De Fide.

EXordiendo igitur à virtutibus Theologicis, quæ ideò Theologicæ appellantur, quia habent Deum pro obiecto, inquantùm per eas rectè ordinamur in Deum, tum quia à solo Deo nobis infunduntur, & à sola Diuina reuelatione in Sacra Scriptura traduntur S. Thom. *prima secundæ quæst.* 62. *art.* 1. *in corpore*; Prima offert se nobis Fides, tanquam fundamentum virtutum omnium, quæ Christianum hominem perficiunt S. Thom. 2. 2. *q.* 4. *art.* 6. quam sperandarum rerum substantiam, & non apparentium argumentum definit Paulus *ad Hebr. cap.* 11: quam definitionem communitèr Theologi sequuntur S. Thomas 2. 2. *q.* 4. *art.* 1. Magister Sentent. *in* 3. *distinct.* 23. S. Bonau. *in* 3. *sentent. distinct.* 23. *art.* 1. *q.* 5. S. Antonin. 4. *par. tit.* 8. *cap.* 2. Viguer. *in inst. cap.* 10.

§. 1.

§. 1. dicitur verò argumentum, quia per illud inducitur intellectus ad inhærendum alicui veritati S. Thom. 2. 2. *q.*4. *art.* 1. & hinc est, quod Fides sit virtus intellectualis, qua firmitèr, & absque vlla dubitatione intellectus adhæret his, quæ Nobis à Deo sunt reuelata propter solam Dei auctoritatem, cui intellectum nostrum captiuamus; Ioannem igitur Dei Fidem habuisse, illiusque intellectum rebus Fidei firmitèr adhæsisse, & propter solam Dei auctoritatem ijsdem rebus Fidei intellectũ suum humilitèr captiuasse, ex sequentibus patet.

Constat enim, hunc Seruum Dei anno 1495. ortum fuisse in Regno Lusitaniæ in Terra Montis Maioris iunioris ex Parentibus pijs fidelibus, ex antiquis Christianis Catholicis, nullaque sanguinis impuritate maculatis, vt vniformitèr de auditu, ac de publica voce, & fama deponunt testes in processu Elborensi, nempè primus annorum 83. iuxtà 1. *fol.* 459. II. ann. 43. *super* 2. *fol.* 465. IV. ann. 63. *super* 1. *fol.* 473. VIII. annorum 65. *super eodem fol.* 497. XV. annorum 118. *super eodem fol.* 533. *& alij plures*. Et quamuis isti Testes non de-

deponant de visu de baptismo, & confirmatione, ob temporis diuturnitatem, deponunt tamen de certa credulitate de auditu a suis maioribus, & de publica voce, & fama, quod sufficit, maximè cum versemur in eo, qui natus inter Catholicos, ac in Regno Lusitaniæ catholicis Regibus subiecto; in quo dubitari non potest, quod paruuli soleant baptizari. Vndè baptismus præsumitur glos. *in c presbyteri* 11. *in vers. & consecretur in fine*. 68. *dist. vbi Archidiac. in princ.* Turrecrem. *in cap. si eos in princ. de consecr. dist.* 4. Afflict. in constit. Neapolitan. incipien. *si damna clandestina. Rub.* 27. *n.* 8. *lib.* 1. *l. & alias sæpè ponderauimus*, vt in relatione B. Thomæ de Villanoua *in tit. De Fide*, & in relatione S. Isidori *in tit. De Natiuitate*, ex quo baptismo saltèm ex intentione parentum Fides arguitur.

Et in Seruo Dei Ioanne Fidem viguisse deponunt in processu Salamantino Primus testis annorum 62. *super* 20. *fol.* 1091. vbi de publico, & notorio, publicaque voce, & fama, & communi opinione absque aliqua contradictione dicit, in

Seruo Dei fuisse puritatem Fidei, & desiderium, vt omnes salui fierent, & fides augeretur, & in primo examine *super* 27. *articulo*, vbi quòd pauperes hortabatur, ne Deum offenderent. III. annorum 97. *super eodem fol.* 1118. vbi asserit, Ioannem toto tempore vitæ obseruasse puritatem Fidei, & vijs omnibus possibilibus curasse reducere peccatores ad viam salutis, & in primo examine *super* 31. *fol.* 1120., vbi addit, Meretrices ad viam salutis retraxisse, ipsas substentando, & dotem ex ijs, quæ per eleæmosynam collegerat, constituendo. XX. annor. 67. *super eodem fol.* 1186. vbi dicit in magna excellentia, & in gradu heroico habuisse tres virtutes Theologicas, nempè Fidem, Spem, & Charitatem ergà Deum, & proximum, cuius amore res prodigiosas operatus est. Ex isto enim propagandæ Fidei, ac alienæ salutis desiderio Fides arguitur, vt aliàs ponderauimus in relatione S. Theresiæ *in tit. De Fide*.

Accedit insupèr, vt infrà apparebit, hũc Seruũ Dei excellenti præstitisse Charitate, quæ cùm sit forma Fidei, & actus Fidei infor-

formet, atque perficiat iuxtà D. Thomam 2. 2. *qu*. 4. *art*. 3. necessariò demonstrat præexistentiam substantiæ Fidei, vt fuit etiam consideratum in relatione eiusdem S. Theresiæ *loco citato*.

Ex quibus elicimus, in hoc Seruo Dei extitisse Fidem, ac eiusdem Fidei formam, nempè Charitatem, quæ, vt infrà videbitur, in gradu heroico præstitit.

De Spe.

SPes definitur, expectatio futuræ beatitudinis ex meritis, & gratia proueniens Magist. Sentent. *in* 3. *dist*. 26. *c*. 1. S. Antonin. *in Summ. sect*. 7. *cap*. 1. §. 2. Hæc porrò Fidem consequitur, & nos Deo facit adhęrere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, scilicèt per Spem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam, vt loquitur S. Thom. 2. 2. *q*. 17. *art*. 6. *in corpore*. Vincent. *in Speculo moral. lib*. 1. *p*. 3. *distinct*. 21. *ad secundum*, quòd etiam docuit Apost. ad Hębr. 6. ibi -- *Habemus Spem incedentem ad interiora velaminis, hoc est incedere facientem ad*

 bea-

beatitudinem cœlestem, vt exponit Gloss. ex quibus patet, id propriè Spei esse, vt hominem Deo fidentem per viam Salutis incedere, & erecto alacri corde obstantia quæque superare faciat.

Quod autem Seruus Dei Ioannes Spem habuerit, ac per illam diuino inniteretur auxilio ad beatitudinem obtinendam incedens confidentèr in via salutis, erectoque, ac alacri corde obstantia quæque superans, deponunt in eodem processu Salamantino præfati Testes, nempè primus *super xi. fol.* 1091. qui dicit se pro certo habere, virtutem Spei in Ioanne mirè effulsisse propter testimonium eorum, quæ operabatur, & ideò quamuis isti testes, prout etiam sæpissimè alij, deponant de propria credulitate; Attamen illis standum est, cùm reddant optimam credulitatis rationem, quæ dat esse testimonio. Abb. *cons.* 105. *n.* 2. *lib.* 1. benè probant Alex. *cons.* 133. *n.* 4. *libr.* 1. Corn. *cons.* 22. *n.* 12. *vol.* 4. Optimæ enim credulitatis rationes sunt opera, màximè cum subdant id esse publicum, ac notorium in omnibus, in quibus habetur notitia ipsius Serui Dei absque vlla contradictione,

quod

quod quidem notorium probatione non indiget *l. si adulterium* §. *ijdem pollunt de adulterijs*, accedit idem Tertius *super eodem fol.* 1118. qui paritèr affirmat se pro certo, & indubitato tenere, Ioannem habuisse Spem maximam vitæ æternæ, ac salutis obtinendæ per merita passionis Domini nostri Iesu Christi, quam in multis casibus ostendit, prout in calamitatibus, ac molestijs plurimis, quas libens sustinuit, & in bonis operibus, quæ fecit; subiungens id esse notorium, ac postremò idem XX. *super eodem fol.* 1186. asserens, se quoque pro certo habere, Seruum Dei in magna excellentia, & in gradu heroico Spem cum alijs Theologicis virtutibus, vt iàm attigimus, possedisse.

Tunc verò præcipuè miram in Deum optimum maximum fiduciam, ac Spem Ioannes ostendit, cum vix insignis, ac pij eiusdem Viri, Magistri Auilæ nuncupati, concione, tanquàm voce Iacob patris audita, Deos alienos, hoc est mundum, carnem, atque diabolum abiecit, mundans se à peccatorum colluuie, vitæque, ac morum vestimenta non sine excelsi dexteræ auxilio Genes. 35. 2.

com-

commutans, prauæ enim vitæ in meliorem mutatio, quæ cum animæ fit labore, non nisi Deo adiuuante procedit, in hac igitur mutatione, de qua deponunt in processu Granatensi II. annorum 105. *super* 16. *fol.* 354. XXV. annorum 93. *fol.* 238. XVIII. annorum 94. *fol.* 189. in Salamantino idem Primus *super xi. fol.* 1089. idem III: *super* 16. *fol.* 1110. idem XX. *super* 11. *fol.* 1185. & in processu Matritano XL. annorum 66. *super* 10. *fol.* 762. Totus ad Deum conuersus, & in Patre misericordiarum animosè confidens, non dubitauit erecto, ac alacri corde ingredi vias Domini, & quascunque difficultates proposito sibi beatitudinis præmio feliciter superare. Ideò sciens, opus esse se ipsum sperare in Domino, vt pasceretur diuitijs eius, Psalm. 36. a. omnia, quæ possidebat vendidit, & eorum pretium distribuit pauperibus carceri mancipatis, vt deponit in processu Salamantino *idem tertius testis loco citato*. Insupèr Seruus Dei Ioannes in renouatione sui spiritus cupiens abolere antiquam carnis exuuiem, vbi à salutari illa Patris Auilæ concione discessit, statim in platea publica,

cæ-

cæno, ac luto inuolutus se totum conspurcauit, os humi deijciens, lapidèque percutiens pectus, misericordiam peccatorum, ac veniam à Deo deprecabatur, cùm verò surrexisset è luto, quia à pluribus ad excessum mentis, & insaniam redactus æstimabatur, statim puerorum conuitijs, lapidibus, ac cæno insectantium ludibrio, atque offensioni expositus est, vt deponunt de visu supradicti Testes in processu Granatési nempè II. *super* 17. *eodem fol.* 359. idem in Salamantino ijdem Primus, III. atque XX. *ibidem*, & in Matritano idem XL. *loco citato*. Tandem veluti mente captus in dementium valetudinarium deductus est, vbi diuturnis, ac sæuis verberibus vltrò expositus, omnia æquo ferebat animo, non timens quid faceret sibi homo, quia in Deo sperabat, nec respiciens in vanitates, & insanias falsas; quoniam nomen Domini erat spes eius, sed tanquàm ouis ad occisionem non aperiebat os suum, quasi cum Apostolo gloriaretur in Tribulationibus, sciens, quod tribulatio patientiam operatur; Patientia autem probationem, probatio verò spem, quam ideò ex prædi- Ad Rom. 5 c.

ctis

ctis in hoc Seruo Dei Ioanne mirè elucere censuimus.

De Charitate in Deum, ac Proximum.

1. ad Corinth. 3. CHaritas, quæ omnes inter virtutes principatum obtinet, cæterisque Theologicis maior ab Apostolo nuncupatur, est virtus, qua Deum summum bonum diligimus propter ipsius bonitatem, reliqua autem omnia in ipso, & propter ipsum D. Thom. *loco citato* 2. 2. *q.* 23. *art.* 3. *&* 6. Deus enim ipse dilectionis proximi est ratio, iuxtà eundem D. Thom. *loco citato q.* 25. *art.* 1. Hæc vinculum perfectionis appellatur, quia integro perfectionum omnium nexu hominem Deo coniungit. Omnes enim aliæ perfectiones, quæ quasi per partes in virtutibus reliquis inueniuntur, indissolubili quodam nexu continentur in Charitate, adeòut qui hanc vnam virtutem habet, omnes habeat, & qui hac vna caret, frustrà alias possideat, vt testatur Apostolus, & confirmat Cyprian. *de vnit. Ecclesiæ*, & August. 1. *de Baptis. c.* 8.

Loco citato.

Hanc

Hanc igitur in Seruo Dei, tanquàm in regia sui Principatus sublimem thronum collocasse, ex dicendis manifestissimè coniecimus.

Quantùm enim attinet ad dilectionem in Deum, quæ Charitatis est primogenita, illa comprobatur primò, dum, vt diximus, omnia in hoc mundo abiecit, vt Deum solum sequeretur, dans omnem substantiam domus suæ pro dilectione Dei, qui hilarem datorem diligit. Secundò, dum illecebris, ac voluptatibus sæculi relictis, asperiorem vitæ rationem amplexus est, fugiensque mundi solatia in viam salutis, diuinæque Legis obseruantiam, quæ summum diuini amoris argumentum est, assiduo Ieiuniorum, pœnitentiæ, flagellorum, ac afflictionum omnium cursu properauit, vt deponunt in processu Granaten. IV. testis annorum 84. *super* 58. *fol.* 102. asserens, se illum agnouisse hominem diuinum propter magnam ipsius Charitatem, pœnitentiam, ieiunia, flagella, ac afflictiones, quas Diuini amoris intuitu sustinebat, V. annorũ 89. *super eodem fol.* 110. dicens, Ioannem fuisse virum Charitate admirabilem, con-

Cant. 8. c. 2. col. 9. 6.

 tinuè-

tinuèque ieiuniorum, ac flagellorum exercitio intentum, VI. annorum 85. *ſuper eodem fol.* 119. affirmans, Seruum Dei magno Charitatis feruore, ac Deo inſeruiendi deſiderio exarſiſſe, ieiunijs, flagellis, alijſq; pluribus cruciatibus ſe ipſum afflixiſſe, denudatis pedibus, capite, ac ſeminudo corpore, vt Deo inſeruiret, inceſſiſſe, quod eſt inſigne amoris in Deum argumentum, VII. annorum 90. & XII. annorum 84. *ſuper eodem fol.* 158. Et in proceſſu Salamantino ijdem, nempè Primus *ſuper* 22. *fol.* 1091. dicens, virtutem Charitatis ad ſummam perfectionem in Ioanne enituiſſe, quia omnia illius opera,& Inſtitutum, Charitatem in Deum, ac proximum continebant. III. *ſuper eodem fol.* 1118. itaut pueris imperantibus, vt amore Dei terram deoſcularetur, humique, ac cæno ſe proſternaret; illicò obſéqueretur, vt deponunt in eodem proceſſu Granatenſi VII. teſtis *ſuper* 17. *fol.* 123. & X. *ſuper eodem*
Ad Rom.8.c. *fol.* 142. diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.

Tertiò quia ſemper Dei amore tenebatur, & totus in Deo reſidebat, vt deponit

in processu Granaten. idem IV. *loco citato*, & XX. annorum 92. *super* 58. *fol.*206.

Quartò quia postquàm ingressus est vias Domini, non solùm mandata ipsius habuit, seruauitque sermonem, vt suam in Deum dilectionem certò testaretur argumento, sed vehementèr angebatur Deum offendi, ideoquè laborabat, ac in eo desudabat, potissimùm vt homines à peccatis retraheret, vt deponunt in processu Salamantino *super* 20. *ac* 22. III. testis *fol.* 1118. & de visu in processu Matritano Primus testis annorũ 87. *super* 31. *fol.* 810. & in Granatensi idem III. *super* 31. *fol.* 95. & XIII. *super eodem fol.* 399. qui asserunt, Seruum Dei obtulisse Meretricibus lucrum, quod ex Meretricio percepturæ erant, vt easdem ab offensione Dei diuerteret. Ioan. 14. 6. c.

Quantum verò attinet ad dilectionem in proximum, quæ est Charitatis Secundogenita, hæc in Ioanne mirabilitèr, ac principalitèr effulsit; Siquidèm nullum fuit vnquàm mali genus animi, vel corporis detrimentum respiciens, quod à proximo suo arcere non studuerit, & nullum paritèr fuit vnquàm boni genus, quod eidem non pro- Ioann. epist. 1. 3.

 cu-

curauerit, videns enim fratrem suum necesse habere, non clausit viscera sua ab eo, in quibus aliam sibi mercedem proponebat, quàm vt Deo placeret.

Primùm igitur ægritudines, ac morbos animi studuit à proximo depellere, dùm, vt suprà ostendimus, totis incumbebat viribus in eo, vt homines à peccatis diuerteret, & in viam salutis reuocaret, Pauperibus enim infirmis, quos in Valetudinario à se non sine insigni in proximum argumento Charitatis instituto recipiebat, Sacramenta primùm ad animi medelam ministrabat, vt deponunt in processu Salamantino *super* 16. XX. *fol.* 1185. III. *fol.* 1116. II. *fol.* 1101. & eos, quos grauiores opprimebant calamitates, ac curæ blandis, & salutaribus sermonibus solabatur, vt deponit idem III. *super* 32. *fol.* 1111.

Secundariò autem corporis ægritudinibus, ac morbis beneficam, ac piam manum Ioannes enixè adeò admouit, vt totis in hoc quasi viribus, ac desiderijs intentus, Domum comparata ex piorum eleæmosynis supellectili instructam conduxerit, in quam pauperes infirmos quotquot obuios

sibi

ſibi inueniebat; vel in via languentes, vel fame, frigoreue pereuntes, proprijs humeris inuehebat, pedes eorum abluens, cæteraque miniſtrans neceſſaria, quæ vicatìm, & oſtiatìm, non intermiſſo diù, noctuque labore, emendicabat, ac duabus ſportis, & ollis recollecta, domum proprijs humeris geſtabat, illa poſtmodùm inter pauperes, atque Infirmos, prout cuiuſque exigebat neceſſitas, diſtribuens, ægrotis ipſe medebatur, cibum proprijs manibus inſerens, ſordes purgans, lectulos verſans, ac ſternens, frigeſcentes igne, famelicos cibo, nudos veſtibus refocillans, omnes denique proprio ſinu, amplexuque confouens, quaſi optaret omnes intrà ſua viſcera recondere, poſt diuturnos autem labores, ac perquiſitam tota Vrbe eleęmoſynam, iuxtà domũ perueniebat, cum ſtatim inuiſebat omnes, nec in priuatũ ſe ſe recipiebat quietem, niſi publicè prius pauperum commoditati abundè conſuluiſſet, ſi quid deerat, vel opus erat, exquirebat diligentèr, ac piè ſubminiſtrabat, omniaque æquo, & hilari vultu præſtans, ac ſufferens, vt de re notoria, publicaque voce, & fama, ac commu-

ni

ni opinione prædicta deponunt in eodem processu Salamantino ijdem testes *locis citatis*, nempè vigesimus secundus, ac tertius de visu *super 9. Interrogat. fol.* 112. & concordant in processu Granatensi V. *super* 23. *fol.*367. & in processu Matritano XL: annorum 66. *super* 10. *fol.*763.

Ad eum porrò Charitatis gradum Ioannes peruenerat, vt quadam vice mulieris plagosæ tibijs innata non alio curauerit medicamine, quàm plagas lambendo, ac saniem ore excipiendo, vt in processu Oropesæ deponunt VI. testis annorum 101. *fol.* 1224. & III. annorum 84. *fol.* 1215. quinimò ijdem Testes locis citatis, nempè vigesimus, & tertius in processu Salamantino de notoria, publicaque voce, & fama deponunt, pauperem quemdam, cuius pedes ablutos Ioannes volebat deosculari, euanuisse ab oculis ipsius, relicto tamen adeò notabilis splendoris vestigio, vt plerique crediderint in Valetudinario incendium excitatum.

Illius etiam Charitatis in pauperes certam satis Fidem præstat salutare institutum Religionis, quam ipse in pauperum ægrotan-

rantium officia, medelam, operaque assiduis laboribus, atque vigilijs intentam in Ciuitate Granatensi primum, non sine insigni ad cæteras quoque non tàm Hispaniarum, quàm cæterarum Prouinciarum Ciuitates propagatione fundauit, vt de notoria, ac publica voce, & fama deponunt in processu Granatensi XVIII. annor. 85: *super* 2. *fol.*417. XIX. annorum 88. *super eodem fol.*418. & in processu Toletano IV. testis annorum 50. *super* 38. *fol.* 833. VII. annorum paritèr 50. *fol.* 861. VIII. annorum 19. XVI. annorum 53. *fol.* 906. XVIII. annorum 52. fol. 900.

Nec intrà Valetudinarij limites officiosa Ioannis in pauperes pietas se continuit, sed facienda etiam propagatione ad externos peruenit, nempè ad honestos, & verecundos pauperes, præsertim verò mulieres, vt peccati ansam, quam suppeditabat ægestas, liberalitèr subtraheret, hos enim secretis eleemosynis alebat, necessitatibusq; omnium, & periculis occurrebat, vt deponunt in processu Granatensi *super* 21. IV. testis *fol.* 101. VII. testis *super* 27. *fol.* 124. & in eodem processu Quartus testis

ex-

extractus *fol.* 364. & paritèr Tertius extractus *fol.* 361. & XXVIII. *ſuper* 27. *fol.* 159.

Ioannes igitur præcipuo Charitatis in proximum ſtudio addictus, maximam temporis partem domi, foriſque perquirendis, diſtribuendiſque eleæmoſynis, in portandis ægrotis, pauperibus adducendis, lectulis externendis, ollis emundandis, abluendiſque, Medicis, ac Confeſſarijs euocandis, alijſque domeſticis curis in pauperum, ac Infirmorum officio tranſigebat, vt prædicta omnia partim de viſu, partim verò de publiea voce, & fama deponunt Teſtes locis citatis, & alij quamplures.

De quatuor Virtutibus Cardinalibus Prudentia, Iuſtitia, Fortitudine, ac Temperantia.

PRudentia, quę inter iſtas Virtutes principatum obtinet, ad bonum totius vitæ finem rectè conciliatur, iudicat, & præcipit, teſte D. Thoma 2.2.*q.*47.*art.*17. mediaque virtutum moralium inuenit, & ad communia omnium laudabilium actionum

prin-

principia cognoſcenda, earumque circumſtantias dijudicãdas lucem ſubminiſtrat; huius virtutis neceſſitatem in homine Chriſtiano ſatis demonſtrauit Chriſtus Dominus, dùm diſcipulis ſuis, quos ad prædicationis meſſem deſtinabat, dixit: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes.* Math. 10.

Seruum autem Dei Ioannem inclinaſſe cor ſuum ad cognoſcendum prudentiam, vt illa ipſum ſeruaret, & erueret à via mala, & ab homine, qui peruerſa loquitur, ſatis patet. Prou. 2.

Primò, quia ex relationis huius diſcurſu apparet, quod in virtutibus cęteris Ioannes excelluit, ad quarum aſſequutionem media neceſſaria attigit per conuenientem diſpoſitionem, quæ propriè eſt Prudentia iuxtà D. Thom. *q.* 47. *artic.* 3. Secundò, quia cum optimum totius vitæ finem in Dei ſeruitium conſtituiſſet, eiuſdem vitæ ſuæ modum mirabilitèr, prudenterque diſpoſuit, opportuno Charitatis, atquè officiorum pietatis in pauperes, infirmoſque nactus medio, quibus Deo ſeruiret impenſiùs, omnia remouens obſtacula, quæ ſe

 ipſum

Matth. c. 16. ipsum in via Domini, vel præpeditum, vel segniorem possent reddere. Ideò enim cum post Christum ire vellet, abnegauit semetipsum, temporalibus renuncians illecebris, ne torporem inijcerent, vt Euangelij

Lucæ 10. præcepto obediret, in via Christi non tulit virgam, peram, panem, pecuniam, neque duas Tunicas, sed omnia, quæ habebat, pauperibus distribuit, ne humanarum rerum sarcina pondere suo iter moraretur. Et deniquè Seruum Dei habuisse maximam Prudentiam, ex quo omnia ipsius opera in honorem Dei, & proximi vtilitatem erant directa, deponunt in Processu Salamantino III. de visu *super* 25. & XX. *super eodem de publica voce, & fama.*

Iustitia verò legalis, per quam omnium virtutum actus ad bonum commune ordinantur iuxtà D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 5. *&* *q.* 61. *art.* 1. in hoc Seruo Dei satis deprehenditur ex illa ardenti, & immensa Charitate, qua ergà Deum, & proximum maximè præstitit, vt suprà ostendimus. Ideòque sicuti legis plenitudo in dilectione consistit, & iusti misericordes dicuntur, ita Ioannem, qui plurimùm dilexit, summèq;

Apost. ad Roman. 13.

 fuit

fuit misericors; legalem iustitiam coluisse Prou. 13. c.
intelligimus, prout eam in Seruo Dei fuisse deponit *in Processu Salamantino* idem XX. Testis *loco citato*.

Fortitudinem verò, quæ animum in grauibus, & maximis periculis firmat, timorem cohibet, audaciamque moderatur, teste D. Thoma 2.2. *q.* 123. *art.* 3. *&* 4. Seruo suo tribuit Dominus, cuius oculi contemplantur vniuersam terram, & præbent Fortitudinem his, qui perfectò corde Ioann. 2. par. c. 16.
credunt in eum, tanquam firmamentum, refugium, & liberatorem suum. Psal. 17. c.

Hæc enim in Ioanne præsertim depræhenditur, dùm propter Dei amorem plurimas calamitates, & angustias animosè, ac impauido pectore subiuit, dùm illius animum nulla instantium periculorum formido, aut difficultatum obex ab instituto Charitatis opere diuertebat, vel morabatur; Diù enim, noctùque licèt frigoris, calorisue vrgerent molestiæ, denudatis capite, pedibus, ac tibijs, vix promissa ad genu veste, absque subucula huc illuc discurrebat ad perquirendum tùm eleęmosynas, tùm pauperes, quos humeris exceptos in Vale-

tudinarium inferebat, itaut in vitæ discrimen sæpènumero adduceretur, præsertim verò cum maximum Granatæ in Regio pauperum Valetudinario excitatum esset incendium, non dubitauit, vt infirmos è flammis eriperet, sese in ignem conijcere, mortem quærens inter flammas, à quibus aliorum vitam eximebat, quamuis ipse mirabilitèr incolumis euaserit, vt inferiùs dicetur, dum agemus de miraculis; Prædicta autem deponunt ijdem Testes *in Processu Salamantino*, nempè II. III. & XX. *locis citatis*. Quibus accedit insignis illa tolerantia, qua assiduos, maximosque labores in pauperum officio constantèr patiebatur, & licèt calamitatibus acritèr præmeretur, nunquam tamen auditus est conqueri, aut indolere, sed omnia ad Dei, cuncta suauitèr disponentis, voluntatem æquanimitèr referebat, itaut in suæ conuersionis initio, vt iam attigimus, cum ad mortificationem sensus, quem in melius innouarat, se in cæno palàm volutasset, & apud plerosque demens haberetur, pueris præsertim luto, saxis, ac omnium iniuriarum genere insectantibus, summas passus est angustias, quas fal-

falsò concepta dementiæ opinio comparauit, sed verè illud poterat vsurpari, Stetit iustus in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt. Hic est, quem habuimus aliquandò in derisum, & in similitudinem improperij: Nos insensati vitam illius estimabamus insaniam, & finem illius sine honore: Ecce quomodò computatus inter filios Dei, & inter Sanctos, sors illius est, aliquandò etiam, licèt innocens, alapis cederetur, alteram offerebat percussori maxillam, vt deponunt *in Processu Granatensi super* 29. III. & XV. testes. Sap. 5. a. 6.

Temperantiæ virtus generalitèr sumpta, est moderatio quædam, quam ratio ponit in humanis operationibus, & passionibus, quod omni virtuti morali commune est. Si verò antonomasticè consideretur, secundùm quod refrenat appetitum ab his, quæ maximè alliciunt hominem, & in quantum versatur circa delectationes moderandas, & sic circa concupiscentias bonorum sensibilium, & tristitias, ex illorum priuatione, seù absentia procedentes, est specialis virtus, vt docet S. Thomas 2. 2. *q.* 141. *art.* 2. *in corpore*, & inter virtutes Cardinales re-

po-

ponitur; vt apud S. Thomam *loco citato artic.* 7.

Hanc igitur Temperantiæ Virtutem Seruum Dei Ioannem obtinuiſſe conſtat, cum præcipuo virtutum omnium exercitio in hoc potiſſimùm deſudaſſe ipſum appareat, vt in boni ſcientia, ab omni ſpecie mala, & his omnibus cautè abſtineret, quæ militant aduersùs animam. Vt enim omittamus partem illam Temperãtiæ, abſtinentiam ſcilicèt, quæ ex ſuo nomine importat ſubtractionem ciborum, iuxtà D. Thom. 2. 2. *q.* 146. *art.* 1. per quam caſtigatur corpus, non ſolùm contrà illecebras luxuriæ, ſed etiam gulæ, vt homo fortiùs inſurgat aduersùs tentationes, hanc porrò Seruus Dei mirè profitebatur, ſemel enim 24. horarum ſpatio parciſſimo cibo vtebatur, quod ſibi libentiſſimè ſubtrahebat, quo profuſiùs in pauperes diſtribueret, *vt in Proceſſu Salamantino* deponit Tertius Teſtis *loco citato*. Triſtitias autem, ex bonorum ſenſibilium priuatione enaſcentes, non percepiſſe liquet, cum volens, libenſque in limine ingreſſus, vice Domini iiſdem bonis omnibus, quæ (vt dictum eſt) diſtri-

Apoſtol. ad Theſſ. 5. d.

buit

buit in pauperes, ac mundanis illecebris æquo, hilarique animo renuntiauit, & quaslibet delectationes, atque concupiscentias tunc demùm patenti moderatione compressit, cum austerioris vitæ institutum amplexus est, in quo assiduæ ieiuniorum, pœnitentiæ, cœterorumque mortificationum exercitatione corpus suum ab omni sensus, ac voluptatum lenocinio immune macerabat, vt constabit ex mox dicendis, dum cęterarum quoque virtutum ponderabimus accessionem, & in Seruo Dei Temperantiam extitisse deponunt *in Processu Salamantino* ijdem testes, nempè *super* 25. II. III. & XX.

De cæteris Virtutibus, & Primò De Pœnitentia, & Mortificatione.

NOn solis Theologicarum, aut Cardinalium Virtutum radijs Ioannis animus explenduit, sed mira cæterarum quoquè virtutum accessione enituit; Nè quid sibi ad summos Sanctitatis fulgores deesset.

in Pœnitentiæ enim virtutem, qua homo operatur ad præteriti peccati destructionem, atque detestationem, veluti per quandam speciem Iustitiæ, ac certa opera, quæ ad vindictam, & peccati satisfactionem fiunt, iuxtà D. Thom. 3. *par. qu.* 25. *art.* 2. & 3. Seruus Dei apprimè dilexit, dum, vt iam attigimus, hùc vniuersum vitæ suæ tenorem direxit, quam assidua mortificationum exercitatione transigebat, non aliud enim sibi volunt denudati in asperitatem pedes, patens ad iniurias, non tàm cœli, quàm hominum caput, succinta ad rigorem vestis, subtractus ad castigationem cibus, lectulus ad duritiem, vita ad laborem, flagella ad pœnam, cilicia ad macerationem, de quibus omnibus deponunt in Processu Granatensi *super* 25. VI. IX. XIV. XV. XVI. & *super* 5. II. XV. & XIX. In Salamantino III. *super* 28. V. *super* 24. XX. *super* 28.

***
*

De

De Paupertate, Castitate, & Obedientia.

SI perfecta, veraque Paupertas est, omnia propter Deum sponte, & libenter dimittere, nihilque praeter solam necessitatem possidere, cum verus pauper nulla transitoria concupiscat, nec vllam solicitudinem de illis habeat, sed simpliciter, ac securè se Deo committat, teste Alberto Magno *in libell. de Virtutibus O. S.* Vtiquè fatendum est, pretiosioribus veræ paupertatis diuitijs Seruum Dei Ioannem abundantèr affluxisse, qui cum se ipsum in nouitate sensus reformasset, quò magis abundaret diuitijs, essetque perfectus, vendidit omnia, quæ habebat, deditque pauperibus, vt haberet thesaurum in Cœlo, Matth.19. laborauit in diminutione victus, vt vbe- Eccl.31.2. riorem pauperibus mensuram porrigeret; esuriuit ipse, vt illi ederent, & saturarentur, vigilauit, vt fiducialitèr requiescerent, seminudus ipse incessit, vt illi vestirentur: ad summam deniquè redactus inopiam, & factus diues, cum nihil haberet, nè ipsi indigerent, ex quibus iuremeritò adstrui-

extractus *fol.* 364. & paritèr Tertius extractus *fol.* 361. & XXVIII. *super* 27. *fol.* 159.

Ioannes igitur præcipuo Charitatis in proximum studio addictus, maximam temporis partem domi, forisque perquirendis, distribuendisque eleæmosynis, in portandis ægrotis, pauperibus adducendis, lectulis externendis, ollis emundandis, abluendisque, Medicis, ac Confessarijs euocandis, alijsque domesticis curis in pauperum, ac Infirmorum officio transigebat, vt prædicta omnia partim de visu, partim verò de publica voce, & fama deponunt Testes locis citatis, & alij quamplures.

De quatuor Virtutibus Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, ac Temperantia.

PRudentia, quę inter istas Virtutes principatum obtinet, ad bonum totius vitæ finem rectè conciliatur, iudicat, & præcipit, teste D. Thoma 2.2.*q*.47.*art*.17. mediaque virtutum moralium inuenit, & ad communia omnium laudabilium actionum

prin-

principia cognoscenda, earumque circumstantias dijudicādas lucem subministrat; huius virtutis necessitatem in homine Christiano satis demonstrauit Christus Dominus, dùm discipulis suis, quos ad prædicationis messem destinabat, dixit: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, estote ergo prudentes sicut serpentes.* Math. 10.

Seruum autem Dei Ioannem inclinasse cor suum ad cognoscendum prudentiam, vt illa ipsum seruaret, & erueret à via mala, & ab homine, qui peruersa loquitur, satis patet. Prou. 2.

Primò, quia ex relationis huius discursu apparet, quod in virtutibus cęteris Ioannes excelluit, ad quarum assequutionem media necessaria attigit per conuenientem dispositionem, quæ propriè est Prudentia iuxtà D. Thom. *q.* 47. *artic.* 3. Secundò, quia cum optimum totius vitæ finem in Dei seruitium constituisset, eiusdem vitæ suæ modum mirabilitèr, prudenterque disposuit, opportuno Charitatis, atquè officiorum pietatis in pauperes, infirmosque nactus medio, quibus Deo seruiret impensiùs, omnia remouens obstacula, quæ se

ipsum in via Domini, vel præpeditum, vel
Matth. c. 16. segniorem possent reddere. Ideò enim, cum post Christum ire vellet, abnegauit semetipsum, temporalibus renuncians illęcebris, ne torporem inijcerent, vt Euangelij
Lucæ 10. præcepto obediret, in via Christi non tulit virgam, peram, panem, pecuniam, neque duas Tunicas, sed omnia, quæ habebat, pauperibus distribuit, ne humanarum rerum sarcina pondere suo iter moraretur. Et deniquè Seruum Dei habuisse maximam Prudentiam, ex quo omnia ipsius opera in honorem Dei, & proximi vtilitatem erant directa, deponunt in Processu Salamantino III. de visu *super* 25. & XX. *super eodem de publica voce, & fama.*

Iustitia verò legalis, per quam omnium virtutum actus ad bonum commune ordinantur iuxtà D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 5. *&* *q.* 61. *art.* 1. in hoc Seruo Dei satis deprehenditur ex illa ardenti, & immensa Charitate, qua ergà Deum, & proximum maximè præstitit, vt suprà ostendimus. Ideòque sicuti legis plenitudo in dilectione con-
Apost. ad Roman. 13. sistit, & iusti misericordes dicuntur, ita Ioannem, qui plurimùm dilexit, summèq;

fuit

fuit misericors; legalem iustitiam coluisse Prou. 13. c.
intelligimus, prout eam in Seruo Dei fuisse deponit *in Processu Salamantino* idem XX. Testis *loco citato*.

Fortitudinem verò, quæ animum in grauibus, & maximis periculis firmat, timorem cohibet, audaciamque moderatur, teste D. Thoma 2.2. *q.* 123. *art.* 3. & 4. Seruo suo tribuit Dominus, cuius oculi contemplantur vniuersam terram, & præbent Fortitudinem his, qui perfecto corde Ioann. 2. par. c. 16.
credunt in eum, tanquam firmamentum, refugium, & liberatorem suum. Psal. 17. c.

Hæc enim in Ioanne præsertim deprehenditur, dùm propter Dei amorem plurimas calamitates, & angustias animosè, ac impauido pectore subiuit, dùm illius animum nulla instantium periculorum formido, aut difficultatum obex ab instituto Charitatis opere diuertebat, vel morabatur; Diù enim, noctùque licèt frigoris, calorisue vrgerent molestiæ, denudatis capite, pedibus, ac tibijs, vix promissa ad genu veste, absque subucula huc illuc discurrebat ad perquirendum tùm eleemosynas, tùm pauperes, quos humeris exceptos in Vale-

tudinarium inferebat, itaut in vitæ diſcrimen ſæpènumero adduceretur, præſertim verò cum maximum Granatæ in Regio pauperum Valetudinario excitatum eſſet incendium, non dubitauit, vt infirmos è flammis eriperet, ſeſe in ignem conijcere, mortem quærens inter flammas, à quibus aliorum vitam eximebat, quamuis ipſe mirabilitèr incolumis euaſerit, vt inferiùs dicetur, dum agemus de miraculis; Prædicta autem deponunt ijdem Teſtes *in Proceſſu Salamantino*, nempè II. III. & XX. *locis citatis*. Quibus accedit inſignis illa tolerantia, qua aſſiduos, maximoſque labores in pauperum officio conſtantèr patiebatur, & licèt calamitatibus acritèr præmeretur, nunquam tamen auditus eſt conqueri, aut indolere, ſed omnia ad Dei, cuncta ſuauitèr diſponentis, voluntatem æquanimitèr referebat, itaut in ſuæ conuerſionis initio, vt iam attigimus, cum ad mortificationem ſenſus, quem in melius innouarat, ſe in cæno palàm volutaſſet, & apud pleroſque demens haberetur, pueris præſertim luto, ſaxis, ac omnium iniuriarum genere inſectantibus, ſummas paſſus eſt anguſtias, quas

fal-

falsò concepta dementiæ opinio comparauit, sed verè illud poterat vsurpari, stetit iustus in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt. Hic est, quem habuimus aliquandò in derisum, & in similitudinem improperij: Nos insensati vitam illius estimabamus insaniam, & finem illius sine honore: Ecce quomodò computatus inter filios Dei, & inter Sanctos, sors illius est, aliquandò etiam, licèt innocens, alapis cederetur, alteram offerebat percussori maxillam, vt deponunt *in Processu Granatensi super* 29. III. & XV. testes. Sap. 5. a. 6.

Temperantiæ virtus generalitèr sumpta, est moderatio quædam, quam ratio ponit in humanis operationibus, & passionibus, quod omni virtuti morali commune est. Si verò antonomasticè consideretur, secundùm quod refrenat appetitum ab his, quæ maximè alliciunt hominem, & in quantum versatur circa delectationes moderandas, & sic circa concupiscentias bonorum sensibilium, & tristitias, ex illorum priuatione, seù absentia procedentes, est specialis virtus, vt docet S. Thomas 2.2 *q.* 141. *art.* 2. *in corpore*, & inter virtutes Cardinales re-

po-

ponitur; vt apud S. Thomam *loco citato artic.* 7.

Hanc igitur Temperantiæ Virtutem Seruum Dei Ioannem obtinuisse constat, cum præcipuo virtutum omnium exercitio in hoc potissimùm desudasse ipsum appareat, vt in boni scientia, ab omni specie mala, & his omnibus cautè abstineret, quæ militant aduersùs animam. Vt enim omittamus partem illam Temperãtiæ, abstinentiam scilicèt, quæ ex suo nomine importat subtractionem ciborum, iuxtà D. Thom. 2. 2. *q.* 146. *art.* 1. per quam castigatur corpus, non solùm contrà illecebras luxuriæ, sed etiam gulæ, vt homo fortiùs insurgat aduersùs tentationes, hanc porrò Seruus Dei mirè profitebatur, semel enim 24. horarum spatio parcissimo cibo vtebatur, quod sibi libentissimè subtrahebat, quo profusiùs in pauperes distribueret, *vt in Processu Salamantino* deponit Tertius Testis *loco citato*. Tristitias autem, ex bonorum sensibilium priuatione enascentes, non percepisse liquet, cum volens, libensque in limine ingressus, vice Domini ijsdem bonis omnibus, quæ (vt dictum est) distribuit

Apo°ol. ad Thess. 5. d.

buit in pauperes, ac mundanis illecebris æquo, hilarique animo renuntiauit, & quaslibet delectationes, atque concupiscentias tunc demùm patenti moderatione compressit, cum austerioris vitæ institutum amplexus est, in quo assiduæ ieiuniorùm, pœnitentiæ, cœterorumque mortificationum exercitatione corpus suum ab omni sensus, ac voluptatum lenocinio immune macerabat, vt constabit ex mox dicendis, dum cęterarum quoque virtutum ponderabimus accessionem, & in Seruo Dei Temperantiam extitisse deponunt *in Processu Salamantino* ijdem testes, nempè *super* 25. II. III. & XX.

De cæteris Virtutibus, & Primò. De Pænitentia, & Mortificatione.

NOn solis Theologicarum, aut Cardinalium Virtutum radijs Ioannis animus explenduit, sed mira cæterarum quoquè virtutum accessione enituit; Nè quid sibi ad summos Sanctitatis fulgores deesset.

Pœ-

Pœnitentiæ enim virtutem, qua homo operatur ad præteriti peccati destructionem, atque detestationem, veluti per quandam speciem Iustitiæ, ac certa opera, quæ ad vindictam, & peccati satisfactionem fiunt, iuxtà D. Thom. 3. *par. qu.* 25. *art.* 2. & 3. Seruus Dei apprimè dilexit, dum, vt iam attigimus, hùc vniuersum vitæ suæ tenorem direxit, quam assidua mortificationum exercitatione transigebat, non aliud enim sibi volunt denudati in asperitatem pedes, patens ad iniurias, non tàm cœli, quàm hominum caput, succinta ad rigorem vestis, subtractus ad castigationem cibus, lectulus ad duritiem, vita ad laborem, flagella ad pœnam, cilicia ad macerationem, de quibus omnibus deponunt in Processu Granatensi *super*

25. VI. IX. XIV. XV. XVI.

& *super* 5. II. XV. & XIX.

In Salamantino III. *super*

28. V. *super* 24. XX.

super 28.

***

*

De

De Paupertate, Castitate, & Obedientia.

SI perfecta, veraque Paupertas est, omnia propter Deum spontè, & libentèr dimittere, nihilque prætèr solam necessitatem possidere, cum verus pauper nulla transitoria concupiscat, nec vllam solicitudinem de illis habeat, sed simplicitèr, ac securè se Deo committat, teste Alberto Magno *in libell. de Virtutibus O. S.* Vtiquè fatendum est, pretiosioribus veræ paupertatis diuitijs Seruum Dei Ioannem abundantèr affluxisse, qui cum se ipsum in nouitate sensus reformasset, quò magis abundaret diuitijs, essetque perfectus, vendidit omnia, quæ habebat, deditque pauperibus, vt haberet thesaurum in Cœlo, Matth.19. laborauit in diminutione victus, vt vbe- Eccl.31.2. riorem pauperibus mensuram porrigeret, esuriuit ipse, vt illi ederent, & saturarentur, vigilauit, vt fiducialitèr requiescerent, seminudus ipse incessit, vt illi vestirentur: ad summam deniquè redactus inopiam, & factus diues, cum nihil haberet, nè ipsi indigerent, ex quibus iuremeritò adstrui-

 mus

mus in ipſo paupertatem, de quo etiam deponunt in Proceſſu Salamantino *ſuper* 26. II. III. XX. & in Granaten. *ſuper* 25. III. & XX. *& ſuper* 28. IV. *& ſuper* 27. Quintus.

Caſtitatem verò, quæ in integritate corporis, ac Immunitate à delectationibus, & magis formalitèr in propoſito ab his abſtinendi conſiſtit, ſecundùm D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 152. *art.* 1. *&* 3. in Ioanne deprehendimus, qua nedùm corpus ſuum integrum, atque delectationibus immune ſeruauit, vt deponunt in Proceſſu Salamantino *ſuper* 26. III. & XX. Itaut puritatis ipſius candor nè ſuſpicionis quidem, aut cogitationis maculam admiſerit, vt aſſerit idem III. Teſtis, ſed ipſius ſtudia, ac labores hùc potiſſimùm contulit, vt carnis concupiſcentiam in proximum etiam exterminaret. Ideò enim ſtatis diebus quaſi venabundus Lupanar ingrediebatur, vt Meretrices à Dœmonis ſeruitute vindicaret, illas hortationibus, precibus, lachrymiſque aggrediebatur, ac pro ipſarum conuerſione Deum exorans, & vbi iſta non proficerent, æqualem futuro Meretri-

cis

cis lucro pecuniam offerebat, vt ab impudico carnis contubernio vile mancipium, quasi postliminio reuersum Christo redimeret, proposito sibi forsan ad imitationem Sancto quodam Viro, Vitalio nuncupato, Seridenis Abbate, qui, vt refert Leontius *in vita Ioannis Eleęmosinarij c.35.* cum Sol occumberet, manducabat vnius ærei lupinos, & intrabat ad vnam Meretricem, & dabat ei nummos, & dicebat; Dona mihi noctem istam, & noli fornicari, & manebat iuxtà eam nocte illa, obseruans eam ne fornicaretur, stabat ergò à Vespere in vno angulo cellulæ, vbi dormiebat mulier, psallens, & orans prò ea, & mittens genuflexiones vsque ad auroram, multas igitur de talibus mulieribus in compunctionem induxit hæc operatio eius, & maximè quando videbant eum nocte extendentem manus, & orantem pro vnaquaque earum, proptèr quod quædam earum à fornicatione cessabat, quædam verò accipiebant viros, & pudicè conuersabantur, quædã verò, & modis omnibus relinquentes singularem vitam ducebant. Neque inæqualem fructum Ioannes retulit, plures

enim conuertebat, vt deponunt in Processu Matritano *super* 31. I. Testis, in Granatensi *super eodem* 3. XIII. & XIV. Hùc etiam respiciebant labores, atque vigilias, quas in eo collocabat, vt indigentibus honestis mulieribus, Viduis præsertim, Virginibusque clàm alimenta subministraret, comparato ad laborem exercitio, nè otium in pudicitiam, honestatemque peccandi ansam inijceret, vt præfata deponunt de publica voce, & fama, ac partìm de visu in Processu Matritano I. *super* 31. in Granaten. II. *super* 30. III. *super* 31. & XIV. *super* 73.

Sicuti cæteras inter virtutes primatum obtinet Obedientia D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 13. per illam namquè voluntas propria, quæ inter suprema rerum humanarum bona reponitur, propter Deum abnegatur, per alias verò virtutes morales contemnuntur bona exteriora, & corporis, quæ inter, & bona media connumerantur. Ità hæc Seruo Dei non defuit; Non solùm enim abnegauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, vt Euangelicæ legis præcepta seruaret, quemadmodùm ex

dedu-

deductis conijcitur, sed hominum etiam voci obediuit, vt reciperet benedictionem à Domino, cum enim Archiepiscopus Tuden. qui Granatæ præsidebat, cuius etiam mandato cognomen Dei sortitus est Ioannes, ipsi, Socijsque vitæ, ac vestitus normam præscripsisset, reuocato etiam ad certam disciplinæ regulam instituto, Seruus Dei eam præstitit Obedientiam Antonio Martino Superiori inter omnes socios electo, quam Præpositis præsertim Ecclesiasticis exhiberi iussit Apostolus, dum dixit, obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, vt deponunt in Processu Salamantino *super* 26. II. *& super* 19. III. ac XX. & cum in læthalem morbum incidisset, enixè rogatus à nobili quadam Matrona, vt pateretur ad ipsius domum transferri, quo commodiùs curaretur, ipse dicens velle inter suos pauperes mori, semper restitit, quousquè superuenit eiusdẽ Archiepiscopi præceptum, id sibi in Obedientiæ legem mandantis, cui statim paratissimo animo obediuit, vt deponunt in Processu Granatensi *super* 42. IX. XII. & XIII. Imò, si pueri præcepissent, vt propter amorem Dei

Ad Hæbr. 13. c.

Dei se humi deijceret, ipse, quamuis onere aliquo prægrauatus, aut cæteris impeditus curis, illicò obsequebatur, vt deponit in eodem Processu Granatensi *super* 27. IX. Testis, & iam supra attigimus.

De frequenti Oratione, cæterisque Virtutibus.

ACtus Religionis interior est oratio, quæ à Damasceno *lib.* 3. *de Orthodoxa fide cap.* 24. appellatur ascensio mentis in Deum, aut eorum à Deo postulatio, quæ postulare conuenit, hæc Cœlo, Terræ, Mari, Infernoque dominatur, ac imperat, vt inquit S. Antoninus *in Summa tit.* 5. *cap.* 8. §. 8. *post med.* Cœlo quidèm, quia
Iosu. 10. Orantibus Iosue, & Coprete, vt refert Ruffin. in ipsius vita *cap.* 9. per plures horas Sol firmauit se, obediens voci hominum terræ, quia bella, & pestis, quibus destruitur terrarum Orbis, per illam tolluntur, vt
2. Regum. in Iuda Machabeo cum fratribus, & in Dauid orante tempore pestis. Mari, nàm Maris tempestas, orantibus Christum Apostolis, sedata est. Inferno deniquè, quia ab

ipſius faucibus Gregorij orationes Traianum eripuere, hinc orantis fœlicitatem extollens S.Ioann.Chriſoſt.conſidera, inquit, quanta eſt tibi conceſſa fœlicitas, quanta gloria attributa, Orationibus fabulari cum Deo, optare quod velis, quod deſideras poſtulare, hanc porrò fœlicitatem Seruus Dei Ioannes agnoſcens, aſſiduè Orationi vacabat, itaut orandò maiorem noctis partem tranſigeret, & aliquandò exceptus hoſpitio à quadam nobili Matrona, vix ſumpto cibo intra Oratorium Domus ſe claudebat, & cùm domeſtici, quid illic ageret, explorarent, obſeruarentque, aſpexere illum denudatis in terram genibus procumbentem, & tota ferè nocte Orationes recitantem, vix dempta hora, quam in ſomnum erogabat. In via aſſiduè recitabat Roſarium, quod ſemper præ manibus habebat, & licèt in pauperum officia incumberet, non ideò linguam, aut mentem diuertebat ab Oratione, hic etiàm emanabat ipſius pietas, ſiue deuotio in Sanctos omnes, præſertim verò illa in Beatiſſimam Virginem, quam ſatis continua Roſarij recitatione teſtabatur; ſupradicta omnia deponunt Mar. 8.

ponunt

ponunt de publica voce, & fama, ac etiam de visu in Processu Granatensi *super* 58. V. Testis, *& super* 35. XV. & XVII. & in eodem Processu extracti IX. & X. *super eodem*, qui asserunt, Seruum Dei propter Orationem plures à Dæmone persecutiones passum, atque molestias, II. *super* 30. III. *super* 31. in Processu Salamantino, *& super* 35. II. *& super* 24. XX.

Ex quibus omnibus satis liquet in hoc Seruo Dei omnia virtutum adfuisse ornamenta, ista tamen ad summam decoris speciem insigni prouexit humilitate, quæ sicuti necessariò requiritur in eis, qui sunt canonizandi, vt pluribus comprobat Castellan. *de Canonizat. Sanct. qu.* 5. *vers.* 3. *necessarium*, ita hic maiori probatione non indiget, cum ex superiùs ponderatis liquidò constet, vniuersum vitæ Ioannis Dei tenorem vndequaquè humilitatem comprobare, de qua tamen deponit etiam in Processu Granatensi *super* 30. XLIII. Testis.

De

De fama, & communi opinione Sanctitatis, ac veneratione Imaginum Serui Dei.

HActenùs de Virtutibus heroicis, quæ Ioannis Sãctimoniam singulari fide testantur, actum est; Nunc ea subijciemus argumenta, quæ ad generalem eiusdem Sanctimonię probationem maximè conferunt, Famam nempè, communemque opinionem Sanctitatis huius Seui Dei, eiusdem Imaginum Venerationi coniunctam, quam necessariam esse ex pluribus concludit idem Castellan. *de Sanctorum Canonizat. quæst.* 5. *vers. Ex his colligitur*: Hanc verò Ioannes tàm viuus, quàm mortuus assequutus est.

Viuens quidem, quia sicuti Omnipotens rerũ omnium Conditor Deus Seruum suum ad sublimem Sanctitatis gradum promouere decreuerat, itaque talis dignosceretur apud homines, qualis erat futurus in oculis ipsius, Serui sui natiuitatem quasi exorientis Solis auroram non solùm prodigiosæ lucis splendoribus, qui super Domo Ioannis apparuerunt, sed etiam applausu di-

dignatus est, dum campanæ Parochialis, nullo percutiente, mirabilitèr sonitum ediderunt, vt partìm de auditu à maioribus, partìm de notorio, publicaque voce, fama, atque communi opinione deponunt in Processu Elborensi *super* 2. *articulo*, IV. Testis *fol.*477. V. *fol.* 483. VI. *fol.*489. X. *fol.*511. XIII. *fol.*555. XXVI. testis extractus *fol.* 543. XXIII. *super* 7. *fol.* 573. & VII. Testis *super* 41. *fol.*496. quorum aliqui asserunt nonnullos indè præsagisse, Sanctum aliquē in domum Ioannis enasci.

Ex quo intelligimus qualis de ipso futura erat apud homines opinio, quæ ortum vitæ comitata Sanctitatem præcessit, licèt tādem toto vitæ suæ spatio heroicis postea virtutibus conciliatum ità comprobauit, vt apud omnes, non tàm propter heroicas virtutes, quàm propter ea, quæ illius intercessione Deus operatus est, Sanctus haberetur, vt partìm de facto proprio, partìm verò de publica voce, & fama, communique opinione concludunt in Processu Salamantino V. Testis *super* 24. *fol.* 1140. in Processu Granatensi I. Testis *super* 8. *fol.* 78. II. *super* 9. *fol.* 91. III. *super eodem fol.* 97. V.

super

super 8. *&* 9. *fol.* 111. *&* 112. VI. *super eodem* 9. *fol.* 120. XV. *super* 8. *fol.* 175. XVI. *super eodem fol.* 181. & alij quamplures, itaut Ciuitas Granatensis Dominum laudaret propter magnalia, quæ Seruo suo contulerat, gratiasque Opt. Max. referret, quod sibi virum tali probitate, & Sanctitate conspicuum concessisset, vt asserunt in eodem Processu Granatensi præcitatus XV. *fol.* 176. & II. *extractus fol.* 356.

Hæc porrò Sanctitatis Fama, communisque reputatio, quam Seruus Dei in suauissimarum odorem virtutum sibi viuens comparauerat, maiora in ipsius obitu incrementa suscepit, lecto enim infirmatus decumbens, iamquè Sacramentis omnibus ritè ad certamen separationis animæ à corpore instructus, vt deponunt in processu Granatensi *super* 43. VI. VII. VIII. X. & XIII. sub capellendæ quietis prætextu, iussit omnes è cubiculo exire, quibus post modicum temporis spatium, audito quodam strepitu, reuersis, inuentus est Seruus Dei, iàm emenso fœlicitèr humanæ vitæ spatio, redditaque Creatori anima, proprijs indutus, vestibus, prosilijsse è thoro, flexis

adhùc in terram genibus consistere inclinatò capite ad pedes Christi Crucifixi, quem adhùc perstrictum manu sustinebat, quod de alio Ioanne Anachoreta humili nuncupato refert Ioannes Moscus in ipsius vita *cap.*87. dicens: *Ingressi autem inuenimus Anachoretam defunctum, erat autem indutus cilicio, & pallio, tenebatque in manibus argenteam crucem*. Sed noster Ioannes odorem mirè fragrantem vlteriùs diffundebat, itaut rei nouitate vniuersa Ciuitas commota illùc confluxerit, vt Serui Dei corpus mirabilitèr consistens intueretur, quod in ea membrorum compositione per sex circitèr horas permansit, quousq; inaduertentèr indè dimotum est, vt aptiùs intrà arcam reconderetur, prout de visu deponunt in processu Granatensi XVIII. testis annorum 94. *super* 44. *fol.* 191. V. annorum 89. *super eodem fol.* 109. XIII. annorum 93. *fol.* 161. XVI. annorum 92. *fol.* 167. & de publica voce, & fama *super eodem* VII. annorum 95. asserens se vnà cum matre accurrisse, vt Ioannis corpus aspiceret, & quamuis propter maximum Populi concursum non potuisset ad do-

mum

mum accedere, audiuisse tamen id tunc passìm narrari ab illis, qui viderant, VI. annorum 84. *fol.* 374. XXI. annorum 52. *fol.* 278. subdens ex propria scientia, ac etiam de auditu ab alijs, Oratorium, in quo Seruus Dei obijt, eandem fragrantiam, odorisque suauitatem pluriès reddidisse, quam corpus per nouem dies subsequentes reliquit. VIII. annorum 92. *fol.* 131. X. annorum 98. *fol.* 144. XVII. annor. 82. *fol.* 186. & alij plurimi.

Non solùm verò Granatensis Ciuitas vniuersa, sed finitimi etiam Populi, maximam, quam de Sanctitate Serui Dei conceperāt opinionem, in Ioannis funere præcipua significatione testati sunt. Funus enim insigni apparatu instructū, omnium gentium, ordinumque concursu frequens, Optimates subiuere feretrum, quod Religiosorum omnium Confraternitatem, totiusque Cleri Familiæ longa serie præcedebant, vniuersa verò Ciuitas, alijque deuoto mœrore, laudibusque luctuosis prosequebantur. Delatum est ad Ecclesiam Victoriæ nuncupatam, statimquè Sepulcro reconditum corpus, vt è confluentis vndi-

què

què innumeræ multitudinis manibus eri-
peretur. Alij feretro coronas admoue-
bant, alij pugionibus arcæ frusta subtrahe-
bant, vt tanquam Sancti reliquias asserua-
rent, ita de visu in eodem processu Grana-
tensi deponunt super 45. Primus, V. VI.
VIII. & extracti super eodem primus, &
secundus.

Sed cum Ioannis funere ipsius Sanctita-
tis fama non interijt, quinimò creuit quo-
tidiè, & per cunctorum ora mystici huius
Hester.9. Mardochei nomen volitauit, quod auxe-
runt, vel confouerunt ea, quæ illius inter-
cessioni operatus est Deus, qualia sunt Mi-
racula, de quibus infrà agemus, & impe-
tratio gratiarum, quas concessit Dominus
per contactum, non tàm baculi, quàm ter-
ræ Domus Serui sui, de quibus deponunt
in processu Toletano *super* 41. testis XII.
XIII. & XIV. *& super* 10. *Interrog.* II.
qui asserunt mulierem in fœtu transuerso,
& pede ad caput posito, per applicationem
præfati baculi ad vterum statim cum pueri
salute parturijsse, & eundem baculum in
huiusmodi vsum pro impetrando salutari
mulierum partu in Ecclesia Corporis Chri-
sti

sti asseruari, & non sine impetratione huiusmodi gratiarum adhiberi V. VI. VII. XV. XVI. & VIII. *super eodem* 10. *Interrogatorio*, & in processu Matritano Primus *fol. 619.* XVIII. *super* 41. XVII. *super* 10. IV. *super eodem*, qui paritèr deponunt, mulierem ex fœtu triduano per similem eiusdem baculi applicationem sine læsione peperisse. Et de virtute à Deo Optimo Maximo concessa terræ Domus, in qua Seruus Dei Ioannes natus est, & vbi nunc Oratorium extructum. Infirmos scilicèt eiusdem terræ contactu, & gestatione salutem in varijs tùm febrium, tùm vermium morbis sępius recuperasse, de publica voce, fama, ac notorio, quàm etiam de facto proprio in processu Elborensi *super* 37. testis XI. XII. XV. XXVI. extractus XIII. & VII. IX. & II. & ideò prædicta domus magna habetur in Veneratione, vt deponunt in eodem processu Elborensi IV. *super* 37. V. *super* 1. dicens quamplures ad illam flexis genibus è longinquò accessisse VI. *super* 40. & *super* 37. VII. *super eodem*, & alij in eodem Processu. Genes. 55. 2.

Opinionem insupèr de Ioannis Sancti-

tate

tate conceptam insigni etiam argumento testatur exhibita Veneratio Imaginibus Serui Dei, de qua deponunt in Processu Granaten. *super* 30. III. V. VI. XIV. XVI. & XVIII. qui concorditèr asserunt, Serui Dei, tanquam Sancti Imagines palàm in Ecclesijs, Sacellis, atque Altaribus venerationi Fidelium passìm expositas.

Imaginis enim honor, teste Basilio, ad exemplar refertur, itaut cum picturam in Imagine cernimus ad veram formam, cuius Imago est, mentis oculo transeamus eum, quem Cœlo frui credimus, & apud Deum Intercessorem eligimus, piè venerantes, non ipsi quidèm picturæ Venerationem attribuentes, sed eius Imaginem pro nostro erga eum, qui se nobis benignum Intercessorem exhibet amore, atque beneuolentia complectentes, vt loquitur Sanctus Ioannes Damascenus in vita Barlaam *cap.* 19. *vers. venerandam*.

Libr. de Spiritu Sancto c. 12.

DE MIRACVLIS.

SVperest, vt transitum faciamus ad alia argumenta; quæ velutì certam magis,

gis, atque indubitabilem afferentia fidem Sanctitatis, iuxtà S.R.E. Ritum, & Sacrorum Canonum Sanctiones, in promouendis ad Canonizationem requiruntur, non tantùm post mortem, sed etiam in Vita, in quo omnes concordant, vt testantur Castellan. *de Canoniz. Sanctor. quæst.* 5. *vers. Quintò necessariò*, & nos superius in initio comprobauimus.

Deus igitur Optimus Maximus, qui diligentibus se remunerator est optimus, & mirabilis in Sanctis suis, non contemnens Seruos suos, quos in sui speciem, hoc est virtutum perfectionem efformauit, posuisse in Paradiso veræ, & indeficientis voluptatis, vt de ligno vitæ, visu pulchro, & ad vescendum suaui, quod vincenti edere datur, sui scilicèt visione beatifica, insatiabilitèr saturarentur, sed ad vberiorem voluptatis mensuram, & accidentalis gloriæ incrementum, vt Serui sui Ioannis Sanctitatem infallibili præpotentis suæ dexteræ testimonio quasi comprobatam, apud nos redderet nobiliorem, plura illius intercessione Miracula operatus est, quæ infrà subijciuntur, omissis consultò disputatio-

Psalm. 67.

Gen. 2. 6.

Apocal. 2. 6.

nibus, quæ Miraculorum essentiam, requisita, operationes, gradus, probationesque respiciunt, cum de illis maiores nostri in præcedentibus Relationibus sæpiùs, abundèque disceptauerint, prout etiam Castellan. *d. tract. de Canoniz. Sanctorum q. 6. per totam*.

Primum Miraculum in Vita.

Seruus Dei illæsus flammas euadit.

CVm maximum in Regio Granatensi Valetudinario excitatum esset incendium, & Vniuersa Ciuitas accurrisset, vt non tàm ædificij, quàm infirmorum incolumitati consuleret, aduolauit præ cæteris Ioannes, assuetus in publicam salutem Charitatis officijs certare, & cùm incendij vis maxima omnes detineret, quominùs in suppetias, opemque pedes inferre auderent, vel possent, Seruus Dei impauidus, toto spectante Populo, prosilijt in ignem, hùc illùc inter flammas perardentia discurrens tecta, quousque non tàm pauperes humeris

meris exportatos, quàm lectulos è fenestris proiectos ex incendio vindicauit. Sed iam in immensum succrescentibus, ac corpus vndequaquè ambientibus flammis, Ioannes circumuentus, cùm per dimidium horæ ab omnium oculis ereptus, tamquam igne absumptus, communi mœrore deploraretur, incolumis ex incendio prodijt, obstupescentibus, Miraculoque id omnibus adscribentibus.

Factum concludunt de visu in Processu Granatensi *super* 34. VI. Testis annorum 85. *fol.* 117. VII. annorum 95. *fol.* 124. VIII. annorum 92. *fol.* 130. XV. annorum 88. *fol.* 173. XXI. annorum 88. *fol.* 211. & in eodem Processu extracti II. annorum 105. *fol.* 357. III. annorum 83. *fol.* 262. & alij quamplures.

Id verò adscribendum esse Miraculo patet euidentissimè. Cum enim ignis sit elementum, seu, vt quibus subtilioribus placet, summa caliditas substantiæ corruptrix, illius substantia cùm sit tenuissima, motuque omnia penetret, quod subiectum, vel proximum illi est, semper vrit, absumitque, & in propriam substantiam vertit,

vndè eadem ratione actiuitatis suæ flammæ, per quas Seruus Dei vagabatur, & quæ postremò ipsum vndiquè ambierunt, debuissent non tàm vestem, quàm ipsum corpus absumere, vndè dum non modo corpus, sed ipsæ etiam vestes innoxiæ euaserunt incendium, vt deponunt Testes;
Psalm. 65. 6. Constat manifestè id fuisse opus admirabile dexteræ illius, qui transeuntes per ignem, & aquam educit in refrigerium, qui mittit
Daniel. 3. c. Angelum suum in fornacem puerorum, vt excutiat flammam ignis, & faciat medium fornacis quasi ventum rosis flantem, ne tangat eos omninò ignis. Hanc enim admirabilem prærogatiuam dilectis suis
Psalm. 90. D. O. M. concedit, vt super aspidem, & regulum ambulent, conculcent Leonem, & Draconem, sic enim vir Sanctus Abraham Eremita, Teste Ephręm Diacono in eius vita *cap.* 14. ignem à Dęmone immissum calcat illæsus, & alius Abrahamo non dissimilis Copres, vt refert Rufinus in ipsius vita *cap.* 9. in nomine Christi consignatus, vt Manichei perfidiam euinceret, medias ingressus flammas, quæ hùc, illùc dispergi, ac fugere pęnitùs ab ipso cępe-

runt, ſtetit in medio ignis media ferè hora innoxius. In hoc quidem à Ioanne diſſimiles, illi namquè integritate Fidei flammas ſuperarunt, hic verò perfectiori Charitatis igne, quem aquæ multæ extinguere, nec flumina poſſunt abruere, ignem deuicit.

Secundum Miraculum poſt mortem.

Incurabilem, & fiſtuloſam plagam ſanat.

HVmores à miſſione ſanguinis facti in pede Sebaſtianæ Gomez exci- tati eruperunt in cruce, deſinentes in vlcus putridum valdè latum, ac corroſiuum, quod iam octo menſium ſpatio ità inualuerat, vt callos in labiorum Orificij obduxiſſet, apertis etiam vlceroſis foraminibus, quæ malignantium, & corruptibilium humorum confouebat profluxus. Ægræ igitur nil proficientibus, quæ applicabantur, medicamentis, & tandem deſtituta à Chirur-

rurgo, qui affirmabat plagam esse insanabilem; & indigere validioribus vnctionum, sudorumque medicaminibus, quibus etiam diuturno tempore difficillimè curari poterat, confugit ad Domum Serui Dei, cui toto ex corde, deuotèque se ipsam commendans, emisso voto pollicita est, se maius quàm posset saxum ad domum ipsius capite delaturam, quatuor post dies nullo medicamento adhibito cum se pęnè incolumem reperijsset, sola vlceris permanente crusta, illicò defixis ad Imaginem Serui Dei oculis, integram valetudinem deprȩcata est, quam sequenti statim die recuperauit, parua tamen cicatrice remanente forsan, vt diuini operis vestigium appareret.

Factum in hunc modum concludunt eadem Sebastiana in Processu Elborensi *super 10. fol. 570.* idem Chirurgus *fol. 568.* & Didacus Gonzalez maritus Sebastianæ *super eodem fol. 568.*

Id verò miraculosè factum esse censuimus, non quidem ex sola qualitate vlceris putridi, magni, corrosiui, & callosi, quod tanquàm arguens salium acrimoniam, ac

mali-

malignitatem, si non est impossibilis secundùm vires naturæ, saltem difficillimæ est curationis, vt testatur Galenus 4. *meth. med.* sed ex ratione, ordineque recuperatæ Sanitatis, quæ à natura intrà angustam adeò quatuor dierum breuitatem, nullo adhibito medicamento fieri nullatenùs poterat. Cùm similes actiones paulatìm, & non nisi diuturno tempore operetur, maximè in casu isto, in quo prius callositatem remouere oportebat, vt docet Hyppocrates ibi: *Vlcus callosum factum, eiecta primùm duritie per putrefactorium medicamentum contingere oportet*, & opus erat emundare vlcus à putredine præcedentibus assiduis purgationibus, atque abstersionibus. Cùm igitur ex prædictis constet, hoc factum excedere vires naturæ, meritò censuimus factum miraculosè à Deo ad intercessionem Serui sui Ioannis; quod ex Commendatione infirmæ, ac voto Ioanni emisso satis depręhenditur, Castellan. *de Canonizatione Sanctorum 7. q. in principio, & in vers. quod autem Miraculum*.

Ter-

Tertium Miraculúm post mortem.

Baculus Serui Dei mulierem, maxima febri, doloribusque, ac quatriduano fœtu mortuo oppressam, à morte liberat.

AGnes de Varca quatuor dierum spatio fœtum mortuum gestarat in vtero non sine vehementi febrium, dolorumque accessione, iamquè adhibitis in vanum remedijs, morboque ingrauescente, viribus adeò defecerat, vt communi Obstetricis, Medicique iudicio, & assertione proxima haberetur morti, ad quam Sacramentis omnibus instructa fuerat, allatus est à marito Baculus itinerarius Serui Dei, quem cum puerpera, ex corde, deuotèque Ioannis opem implorans, ventri applicuisset, statim quamdam fœtus commotionem sensit in vtero, subsequuta pedis emissione, quæ certam indè incolumitatis spem arripuit,

puit, prout poſtmodum, fœtu emiſſo, ab omni febris, dolorumque vexatione remanſit libera, itaut quinque poſt dies è lecto penitùs incolumis ſurgere potuerit.

De facto in hunc modum concludentèr deponunt *in Proceſſu Toletano* eadem Agnes *ſuper* 41.*fol.*882. Matthias Guttierres Obſtetrix *ſuper eodem fol.* 922. Doctor Apollinarius Vallaſquez Medicus *ſuper* 10. *Interrogatorio*, *fol.* 944. Ioannes de Cobes Maritus *ſuper* 41. *fol.* 871.

Partum huiuſmodi Miraculoſum eſſe nobis viſum fuit, quia ad partum naturalem tria copulatiuè requiruntur. Primò impetus fœtus ad exitum; Secundò, facultas vteri impellens; Tertiò, viæ non impeditæ, vt colligitur ex Hyppocrat. 1. *de morb. mul.* & *lib. de extract. fœtus*, & Paul. *lib.* 6. *cap.*22. Aetio *lib.*16. *cap.*23. Quorum neutrum in caſu iſto concurrebat. Non primum, quia fœtus, cum eſſet mortuus, prorsùs carebat ſpiritalibus adiumentis, ex quibus impetum habere, vel recipere poſſet ad exitum. Non ſecundum, quia partes vterinæ ob dolores, & febrim, & contactum à frigido, mortuoque erant imbecilles, &

inaptæ ad expulſionem mortui, atque ponderoſi. Non tertium deniquè, quia clauſtrum vterinum cum eſſet anguſtatum ex inflammatione, ac dolore, denſatumque à contactu frigido, & mortuo non poterat præbere aditum: Vndè cum, his non obſtantibus, ſubſequutus fuerit exitus, ac partus ſalutaris, atque excedens vires naturæ, id ſanè Miraculo adſcribendum eſt, quod etiam teſtatur inſtantaneus exitus ad applicationem Baculi Serui Dei Ioannis, cuius ideò interceſſione operatum eſſe ſatis colligitur ex præcedenti auxilij ipſius inuocatione, atque ipſiuſmet Baculi contactu, vt in ſimili deduximus in ſuperiori Miraculo, ad cuius rei confirmationem plurimùm conferunt ea, quæ ex pluribus teſtium depoſitionibus ſupra ponderauimus circa communem Venerationem huius Baculi, quem prædicti Teſtes in huiuſmodi vſu, nempè pro obtinendo ſalutari mulierum partu aſſeruari, atque adhiberi teſtantur.

***
*

Quartum Miraculum post mortem.

Oculorum Infirmitatem sanat.

SAuina Baptista puella annorum quatuor, in eam incidit infirmitatem, vt profluentium humorum concursu tumefactos, atque obumbratos oculos non posset aperire, vt cum, admotis quibusdam medicamentis, tumor subsedisset, oculique essent aperti, adhuc tamen illorum lumine adeò impedita remansit, vt duorum mensium spatio nihil penitùs videret. Cum verò ipsius Mater ad Valetudinarium Ioannis Dei accessisset, vt Chirurgum pro salutæ filiæ consuleret, à pia quadam muliere Valetudinarij Ministra commonefacta, vt potiùs ad auxilium, opemque Serui Dei confugeret, se ad Ecclesiam contulit, ibiquè effusis lacrymis, Rosarioque recitato, ac deuotione, quam maxima Ioannis intercessioni filiam commendans, pollicita est, eandem ipsius Serui Dei habitum assumpturam, die sequenti puella se visum recuperasse signi-

ficans, plura proprijs nuncupata nominibus in restitutæ lucis testimonium designauit.

Hoc factum, prout superiùs narratur, concludentèr probant de certa scientia *in Processu Granatensi* Maria de Zamora Mater puellæ *super* 2. *fol.* 419. Thomasa Faxardo Amita puellæ, habitans in eadem domo *super* 10. *fol.* 294. Ioanna de Assero Valetudinarij Ministra, quæ suasit, vt ad intercessionem Ioannis Dei Mater confugeret *super eodem* 10. *interrogatorio*, *fol.* 318.

Hanc verò oculorum illuminationem adscribendam esse Miraculo censuimus, attenta tùm qualitate infirmitatis, quæ visum puellæ obtenebrarat, itaut iam per duos menses nihil videret, vt ijdem Testes deponunt; tùm etiam instantanea visus recuperatione, quæ nullo maximè adhibito medicamento, cum excedat vires naturæ; Sensim, & per successiuas alterationes solùm operantis miraculum arguit, Archidiac. *in cap. nec mirùm num.* 6. & 8. & ibidem Bellam. *num.* 5. 26. *q.* 5. & quod emanauerit ad intercessionem Serui Dei Ioannis, sufficientèr comprobant ad ipsum preces

effu-

effusæ, & præcedentis voti nuncupatio, vt iam in alijs deduximus.

Quintum Miraculum post mortem.

Lathalem hemorragiam, ac febrim sanat.

PHilippæ Arayz trium cum dimidio annorum puellæ febribus laboranti superuenit per os, ac nares immoderatus exitus sanguinis, qui post quadrantis vnius assiduam profluxionem, cum tantillum remisisset, nouis inualescentibus symptomatibus, iterum per tres vices copiosus cæpit effluere ad trium circitèr sanguinis concreti librarum pondus. Vndè cum corpusculum illud tenellum ad extremum vitæ peruenisset, ob idque adstantes morienti candelas ad Sacram Consignationem appararent, puella oculos aperuit, & ad integros sensus, ac difficultatem loquendi restituta, statim, sanguine adhuc è naribus manante, Ioannis Dei nomen inuocauit ex se ipsa, significans, vt terram Domus Serui Dei admouerent

fo-

foramini narium, vndè sanguis effluebat, quo statim peracto, illicò sanguinis fluxus cessauit, integrèque conualuit.

Factum in hunc modum concludentèr deponunt ex scientia, & de visu *in Processu Elboreñ* Balthaxar Rosatus Auus eiusdem puellæ ad X. *fol.* 547. qui subdit etiam se ipsum per appensionem ad collum terræ eiusdem Domus Serui Dei à febribus fuisse liberatum, Franciscus Rosatus Pater puellæ *ad eundem fol.* 551. qui etiam de auditu deponit de præfata à febribus liberatione Balthaxaris Patris; Barbara de Çosta Amita puellæ *ad eundem fol.* 555.

Hunc sanguinis profluxum, quem Medici hemorragiam nuncupant, miraculosè firmatum subsequuta recuperatione salutis cēsuimus, quia vberior, largiorque ista sanguinis profusio, non ex abundanti illius copiá in casu isto manare poterat, siquidèm in puella tenellæ adeò ætatis febricitanti, ac maximè in æstiuis ardoribus nullatenùs sanguis poterat abundare; sed erat necessariò referenda ad vitiosam ipsius sanguinis qualitatem, in qua eò potissimùm æstatis tempore, ætate, & statu sanguis peccare solet,

quod

quod etiam comprobare possunt grauia illa symptomata, quæ in tota sui duratione secùm deferebat, tanquam indicantia malignitatem. Et consequentèr in hoc statu hemorragia ista vix poterat firmari, quia, vt inquit Valerius *6. Epid. sect. 3. textu 19. Fluxus sanguinis à vitiosa qualitate minùs potest contineri, quàm qui à multitudine, hic enim mox atque exijt, quod redundat, spontè cessat, sublata scilicèt fluendi causa, ille verò nunquam cessat, quia quantumuis minuatur copia, maligna qualitas, quæ irritat fluxum saguinis, non exit seorsum, quod in eo est malignum, sed simul totus, quarè quantumuis sit euacuatum, quod superest, est eadem malignitate, qua quod inerat*. Et sic in casu isto cum sanguis in vitiosa qualitate peccaret, licèt euacuata quantitate, adhuc tamen remanebat prauæ qualitatis irritatio, vndè ex se difficillimè firmari poterat.

Cum igitur nullo rectè operantis naturæ, aut artis ministerio, sed ad solam applicationem terræ Domus Serui Dei Ioannis repentè sanguinis fluxus firmatus fuerit, accedente etiam febris cessatione, ac omnimoda

ſalutis recuperatione, quæ ex abundanti adeò ſanguinis emiſſione deſperari poterat, vtiquè id diuinitùs per merita, ac interceſſionem eiuſdem Serui Dei fatendum eſt eueniſſe. Terra enim illa ex ſui natura, imò nec quoduis aliud, licèt adſtringentiſſimum, remedium potuiſſet tàm celeritèr, ac repentè hemorragiam hanc ſiſtere, quæ ſucceſſiuam naturæ operationem expoſcebat ſecundùm methodum medendi ſimilibus morbis, quam præſcribit Hippocrat. *lib. 6. de morb. vulg. ſect. 6.* Gal. 5. *method. med.* & Paul. *lib. 4. cap. 53.* maximè cum narium extremitate in pauca portiuncula fuerit ſolummodò admota, quæ ideò nullatenùs potuiſſet compeſcere largam, atque vberiorem ex interioribus tùm narium, tùm oris penetralibus profluentem ſanguinis copiam.

Ad confirmationem Miraculi accedit, quod puella trium annorum rationis expers ad extremam deducta imbecillitatem, ac omnibus ſpirituum functionibus deſtituta, repentè experrecta, & ad integros ſenſus reſtituta, oculos aperiens, Ioannis primùm nomine implorato, opem ſibi ferri depoſcens in medicamentum terram Domus Serui Dei poſtulauit.

Con-

Concurrunt etiam ad maiorem corroborationem ea, quæ ſuperiùs ponderata ſunt circà virtutem eiuſdem terræ Domus, de qua teſtes deponunt, aſſerentes eandem Domum maxima haberi in Veneratione, & ad eiuſdem terræ cōtactum Deum Opt. Maximum plures gratias paſsìm, & crebrò concedere.

Sextum Miraculum poſt mortem.

Febricitantem ſanat, & ad ſenſus reſtituit.

Beatrix Caſebræ de Gama cum vehementiſſima febri, admodumquè periculoſa per menſem laboraret, ac decem, & octo dierum ſpatio ſenſibus fuiſſet omninò deſtituta, in ſummum vitæ reuocata diſcrimen, deſperantibus illius ſalutem Medicis, Sacro Chryſmate perungenda mox erat.

Allata eſt, monitu pij cuiuſdam Viri, portiuncula terræ Domus Serui Dei Ioannis, quam cum Ægrotantis collo appendiſſent,

illicò, nulla mora interposita, ad deperditos sensus reuocata est, & deindè absque vlla medicamentorum ope conualuit.

Ita deponunt de visu, ac certa scientia *in Processu Elborensi* eadem Beatrix filia *ad eundem fol.* 580. Agnes Cardosa *ad eundem fol.* 584.

Id miraculo adscribendum esse patet, tùm quia sanatio subsequuta est repentè, considerando potissimùm, quod Infirma postquam 18. dierum spatio sensuum operationibus caruerat, statim, ac nulla interposita mora ad contactum terræ huiusmodi in suos sensus redijt, quam subitam operandi rationem Medici non agnoscunt, ex deductis in alijs Miraculis.

Præsertim verò accedit, quod amissio sensuum proximam mortem significabat, ex Hyppocrat. 4. *aphor.* 94. & iam præcesserat febris per 30. dies, quæ omnia arguunt in Muliere ista, maximè sexagenario proxima, ac viribus destituta, huiusmodi subitam sensuum recuperationem non potuisse naturalitèr euenire, vndè Miraculum arguitur ex deductis.

De

De Validitate Processuum, & legitimo examine Testium.

Omittitur hæc vltima pars, quia super dd. Processibus tanquàm validis, & releuantibus concessum fuit à fel. rec. Vrbano VIII. sub die 21. Septembris 1630. Breue Beatificatiomis tenoris sequentis.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Principis Apostolorũ, nullis licèt nostris suffragan. meritis Diuina prouidentia constituti, ad ea, per quę Seruorum Christi Veneratio in Terris promoueatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis, Pastoralis muneris nostri partes propensis studijs impendimus, proùt pia Christifidelium, & præsertim Catholicorum Regum, & Principum vota esposcunt, Nosque conspicimus in Domino salubritèr expedire.

Sanè nomine Dilectorum Filiorum Maioris, & aliorum Confratum Congrega-

tionis Ioannis Dei ſub Regula S. Auguſtinis, Nobis nuper expoſitum fuit, quod tranſmiſſis de mandato noſtro ad Ven. Fratres noſtros S.R.E. Cardinales, Sacris Ritibus Præpoſitos, proceſſibus Apoſtolica Auctoritate fabricatis, & in Sac. Rotæ Auditorio examinatis ſuper Sanctitate, Virtutibus, & Miraculis Serui Dei Ioannis de Deo, Fratrum, vulgò (*Fate ben Fratelli*) nuncupatorum Fundatoris, ijſque in Congregatione eorumdem Cardinalium per plures Seſſiones acerrimè diſcuſſis, citato etiam, & audito priùs ſuper ijſdem, vt moris eſt, Dilecto filio Promotore Fidei, cognito primùm de Validitate Proceſſuum, deindè de Virtutibus heroicis, ac demùm de Miraculis in Vita, & poſt mortem ab Omnipotenti Deo interceſſione dicti ſui Serui patratis, referente dilecto filio noſtro Petro Maria Sancti Georgij Diacono Cardinale, ijdem Cardinales vnanimi conſenſu pronunciarunt, tutò poſſe, quandocumquè Nobis placuerit, ad Solemnem Canonizationem dicti Ioannis de Deo deueniri, & interìm Beatum nuncupari, ac Miſſam, & Officium de eo, vt infrà, recitari, & cele-

brari;

brari; Quarè pro parte non solùm Maioris, & Confratrum prædictorum, verùm etiam Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, ac Philippi Hispaniarum Regis Catholici, & Carissimæ in Christo filiæ nostræ Isabellæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ, aliorumque Christianorum Principum nobis fuit humilitèr supplicatum, vt interìm, donec ad solemnem Canonizationem d. Ioannis de Deo deueniatur, idem Seruus Dei Ioannes de Deo Beatus nuncupari, atque Officium, & Missa de eo, vt infrà, celebrari possit.

Nos pijs Ferdinandi Regis in Imperatorem electi, ac Philippi Regis, & Isabellæ Reginæ, aliorumque Principum, nec non Maioris, aliorumque Confratrum prædictorum votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, benignè annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorundem Cardinalium consilio, vt ipse Seruus Dei Ioannes de Deo in posterùm Beatus nuncupari, ac de eodem ab omnibus dictæ Congregationis Regularibus vbiquè existentibus quotannis in

die eius obitus Officium recitari, & Missa celebrari de communi Confessoris non Pontificis ritu duplici maiori per annum, iuxtà rubricas Breuiarij, & Missalis Romani, & quoad Missam etiam per alios Regulares, & Sæculares Sacerdotes ad eorum Ecclesias confluentes: In Ciuitate verò Granaten. nempè in Ecclesia, vbi eius Sacrum Corpus requiescit, & in Terra nuncupata Montemor il Nouo, vbi natus est, in omnibus Ecclesijs tàm Regularium, quàm Sæcularium Officium, & Missa ritu duplici minore recitari, & celebrari possit, & valeat; Ac pro præsenti anno dumtaxàt maior, & alij Confratres dictæ Congregationis solemnem Beatificationem cũ Missis in die eis beneuisa hic Romæ in Ecclesia S. Ioannis Colabitæ, nec non alij Sacerdotes tam Regulares, quàm Sæculares ad dictam Ecclesiam eò die confluentes cũ eadem Missa, iuxtà rubricas se conformare liberè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impertimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque.

que. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis; eadem prorsùs vbiquè fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 21. Septembris 1630. Pontificatus Nostri Anno Octauo.

Signata deindè Commissione reassumptionis Causæ, & expeditis nouis Litteris Remissorialibus pro confectione Processuum de ijs, quæ superuenerunt in Vrbe, necnon in Ciuitatibus Neapolitana, Granatensi, & Matritensi, quorum Validitas approbata fuit die 9. Februarij 1675. deuentum subindè fuit ad discussionem releuantiæ, & sub die 20. Decembris 1678. approbata fuerunt duo Miracula, subindeque die 13. Iunij 1679. san. mem. Innocentius XI. decreuit tutò quandocumquè posse deueniri ad Solemnem huius Beati Canonizationem, vt ex eodem Decreto tenoris sequentis.

GRA-

GRANATEN.

Canonizationis Beati Ioannis de Deo Fundatoris Ordinis vulgò Fate ben fratelli *nuncupati.*

FActa relatione in Congregatione Sacrorum Rituum, habita coram san. mem. Clemente Nono die 4. Octobris 1667. ab eoque signata Commissione prosecutionis, & reassũptionis causæ Canonizationis Beati Ioannis de Deo Fundatoris Ordinis vulgò *Fate ben fratelli* nuncupati, in statu, & terminis, quibus reperiebatur post illius Beatificationem; Ex plerisque euentibus articulatis, contentisque in Processibus auctoritate Apostolica confectis, nedùm super ijs, quæ superuenerunt post indultam eidem Beato Venerationem, sed etiam quæ illam præcesserunt, constito de illorum validitate die 9. Februarij 1675. Et ex ijsdem ab Eminentissimo Domino Cardinali Carpineo Ponente in Congregatione generali eiusdem Sacræ Congregationis, habitæ coram Sanctissimo Domino Nostro Innocen-

tio Papa XI. die 20. Decembris 1678. propoſitis, ac plurimis diſcuſſis Miraculis, Sanctitas Sua, auditis Conſultorum ſententia, ac ſuffragijs Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium, diſtulit reſolutionem, & tantæ rei declarationem prius à Deo precibus poſtulandam deliberauit. Quibus igitur peractis, denuò idem Sanctiſſimus, auditis Reuerendiſs. Fidei Promotore, & Secretario eiuſdem Sacræ Congregationis, duo Miracula ex Proceſſibus Neapolitano, & Romano, tanquàm vera, & abundè probata comprobauit, nempè primum instantaneæ ſanationis Ioannis de Marino Cruribus impotentis attracti, & ſaucij ſeptennij. Et quartum inſtantaneæ ſanationis Iſabellæ Arcelli à bubonibus, petecchijs, & carbunculis in humeris abſque cicatricibus. Ijſque ſtantibus, & abſolutis omnibus, quæ nouiſsima decreta fel. rec. Vrbani VIII. exigunt, declarauit, tutò poſſe quandocumquè deueniri ad ſolennem prædicti Beati Ioannis de Deo Canonizationem, iuxtà Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sacrorum Canonum diſpoſitionem, eumque cum Deo regnantem in gloria Sanctorum, eorumque Cathalogo ad-

adiungere vniuersali Cultu colendum, & præsens Decretum expediri mandauit. Die 13. Iunij 1679.

Cæsar Card. Fachenettus.


Loco † sigilli.

Bernard. Casalius S. Rit. Cong. Sec.

Reuisa.

Bernardinus Peregrinus Subpromotor Fidei.




BIBLIOTECA